

Petrus de Vinea

Ep. V 48 (Vniuersis, et cetera...)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

Ep. V 48 (Vniuersis, et cetera...)

ante maggio 1248

Concedit licentiam quibusdam mercatoribus faciendi represalias.

1. Vniuersis, et cetera. 2. Fidelitati tuae notum facimus per presentes, quod B. et M., mercatores de ..., fideles nostri, ad nostrae celsitudinis presentiam uenientes, maiestati nostrae humiliter supplicarunt, ut, quia dum ipsi quamdam nauim, cum eorum mercibus et rebus aliis ualentibus uncias auri M. et plus, Venetias destinarent, rebelles nostri Anconitani, nauim ipsam hostiliter inuadentes, ceperunt eam cum mercibus antedictis, capiendi de bonis eorum, quousque de dampno ipso resarciantur ad plenum, de nostra gratia concedere licentiam dignaremur. 3. Nos igitur supplicationibus istorum benignius inclinati, cum eisdem fidelibus nostris dampna passis deesse nolumus, dedimus eis licentiam et plenariam potestatem, ut, quamdiu dicti Anconitani in rebellione nostra perstiterint, ubique per mare et terram de bonis eorum capiant, quae non sint ad opus curiae nostrae capta uel etiam annotata, et eorum, quibus securitatis nostrae litteras duximus concedendas, quousque in ualore M. unciarum auri et illatorum dampnorum superius predictorum plenius satisfiat. 4. Quare uniuersitati uestrae precipiendo mandamus, quatenus super capiendis bonis Anconitanorum, predictorum nostrorum rebellium, nullus eos impediat uel molestet. Immo ob reuerentiam nostri culminis assistatis eis super premissis auxilio, consilio, et fauore: dum tamen ad ea, quae ad opus curiae nostrae capta uel annotata sint, seu ad eos, quibus securitatis nostrae litterae per nostram excellentiam sunt indultae, manus aliquatenus non extendant.